DE VERMINATIONE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Luigi Fiorini

DE

VERMINATIONE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM

CONSEQUENDAM

PUBLICE HABUIT

In Archigymnasio Patavino

ALOYSIUS FIORINI

VERONENSIS

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLII.

Inter morbos, quos frequentiores mihi videre occurrit in clinico practicanti, nec non eodem tempore ex medicis curare audivi, verminationem primum censeo et praecipue in provincia patavina. Ideoque cum hac die de eo, quod dificillima restituendae salutis ars proponit, agere debeam, apis matinae more modoque argumentum traxi, quod quidem nec novitate nec gravitate nil utilitatis forsan afferet, sed tantummodo officio satisfaciat curavi.

Medici etiam expertissimi facillime in morborum diagnosi in errorem trahuntur prae primis in his, qui quamplurimos alios simulant, inter quos certe verminatio; obscura enim et aequivoca indicia offert, nisi ex ore alvove vermes expellantur.

Helminthiasis intestinalis generatim producitur a quinque magis notis vermium speciebus, adsunt praeter has etiam aliae, et ob eorum raritatem omittemus.

I. Tricocephalus dispar sic dictus ab ejus forma magnitudinis pollicis, latitudinis exiguae, coloris albicantis, et potest pertinere ad statum normalem, quia in omnibus individuis residet, et in cadaveribus attente perlustratis reperitur, in intestino caeco rarissime visus fere semper extinctus. In foeminis potest ob peculiarem irritationem ab ipso producta uti totius visum est nymphomaniae originem praebere; non sistit exclusive objectum curae, et pauca edit et parvi momenti phaenomena.

II. Oxyurides vermiculares, qui solummodo in intestino recto sistunt, sunt parvi, tenuissimi, trium linearum, magis albicantes, et insigni vivacitate instrueti semper sunt, cum muco intestini recti et per faeces evacuantur; rariores sunt quam primi, occurrunt potius in foeminis quam in viris et speciatim quando intestinum rectum blennorrhoea laborat. Symptomata eorum praesentiae sunt: pruritus insignis ad anum irritans, ut aeger credat laborare hae-

morrhoidibus praesertim tempore vespertino sub lecti tepore, adest semper cum blennorrhoea intestinorum tenuium, quae si evenit faeces evacuantur caseosae. Si duriores sunt faeces etiam sanguis educitur, dolores autem vix unquam adparent, probabile est quod ii vermes etiam per vomitum evacuentur.

III. Vulgaris omnium vermium species est ascaridis lumbricoidis. Symptomata hujusce praesentiae in duos ordines dividuntur, idiopathica nempe et sympathica; antea vero notandum credimus quod hic vermis communis fere evadit in omnibus individuis, et sedem figit in intestino tenui inter duodenum et caecum, et sicut haec intestini portio minus sensibilis evadit quam crassi et ventriculi, sic vix edit symptomata manifesta verminationis donec illic persistit, et solummodo aperta phaenomena producit quando transit vel in duodenum pylorum versus, vel in ventriculum, vel in intestina crassa, quod in casu exurgunt sequentia symptomata. Inopinata quaedam vomituritio cum fame, quae nisi sedetur et cito fit dira, et colletio muci in ore adparet; si in ventriculo errat, tunc vomitus enascitur et magis illum vellicat et irritat, quia illa non est vera sua habitatio; quandoque absque vomitu educitur. Quando vero in crasso invenitur, tum valde manifesta eduntur phaenomena helminthiasis quae sunt vel generalia obscura satis, vel localia, et ista iterum vel idiophatica vel sympathica.

Inter generalia recenseri merentur illa quae statum pituitosum denotant (polyblennia) ex excretione muci abundanti et alterata dependentem cum suis speciebus et varietatibus. Praeter polyblenniam, quae non semper adest, insurgunt signa cachexiae, quapropter observatur, quod multum laborantes vermibus simul scrophulosi rhachitici, chloroticae evadunt. Alia signa universalia essent pallor viridescens totius corporis, laxitas partium solidarum, sclerotica caerulescens, quae essentialia non sunt, et frequenter deficiunt.

Localia autem helminthiasis symptomata ea sunt: adpetitus valde inconstans evadit, nunc excessu, nunc defectu, nunc prava indole peccans; si vero adpetunt cupiunt farinaceas, oleosas, pingues substantias, rarissime carnes, et praesertim tempore noctis; quare infantes, qui de nocte famem accusant suspicionem, et quandoque certitudinem inducunt illos vermibus laborare; sitis est adaucta et speciatim mane, et etiam si non comedunt multum bibunt; digestio inconstans, dyspepsia, bradypepsia adest generatim, persaepe etiam a doloribus non tam fortibus vero vel lancinantibus sed cito transeuntibus et levibus comitatur.

Ulteriora phaenomena idiopathica praesentiae ascaridis lumbricoidis essent quae sequuntur: lingua est albicanti muco obtecta cum punctis rubris signata, praesertim in marginibus et apice, salivatio matutina, ructus, nausea, vomituritiones, praesertim si isti vermes adsunt in pyloro aut in ventriculo, vomitus ipse, speciatim post dulcia ingesta, muci atque materierum liquidarum.

Inflatum abdomen dyspnoeam producit, flatus, qui non secedunt, sed adest potius tenesmus; alvus valde inconstans, nunc faeces sunt spumosae, nunc mucosae, nunc aliquibus punctis sanguineis signatae, nunc cum quibusdam filamentis.

Communiora sympathica autem sunt: pruritus narium irritans, olfactus laesus, pupilla dilatata et photophobia et variae adsunt visiones umbrarum (myrmecopsia); oculi autem, praeter pupillam dilatatam et scleroticam plumbeam, manifestant splendorem modo auctum, modo imminutum cum oculo livido.

In somno infantes hac detenti adfectione, loquuntur, pavescunt, dentibus stridunt, ostendunt faciem modo pallidam, modo etiam rubram, adest cordis palpitatio, pulsuum concitatio, dyspnoea, dolores fere rheumatici ad latera, urinae pallidae uti erum lactis, sudores aciduli, sapor oris pariter acidus, et talis quoque exhalatio in systemate capillari; exurgunt etiam varia phaenomena, et

tremores, convulsiones, eclampsia, quae in epilepsiam degenerare potest, et omnes fere nevroses uti ex. gr. chorea s. Viti, catalepsis, somnambulismus et similes helminthiasi produci possunt; facultates mentales non adeo obtusae immo generatim feliciores et apertae. Si morbus autem incrementum acquirit, exoritur cum supradictis symptomatibus vel ephemera, vel lenta, per plures hebdomadas et menses valde inconstans, quae nihil habet certi, ne quoad typum quidem, et dicitur febris verminosa modo acuta, modo lenta.

Phaenomena vermium solitariorum. Duo praecipue horum vermium species agnoscuntur:

1. Taenia lata,
2. Botryocephalus.

Taenia lata minus frequenter occurrit; saepius botryocephalus qui licet longitudine tanta non sit tamen minori crassitie donatus. Symptomata horum praesentiae varia sunt, sed pauca certa.

Phaenomena parum certa essent: sensatio quasi morsus ad pylorum se se diffundes ad colon transversum, praesertim ad partem dexteram, quae autem non est characteristica; nonnullarum functionum laesio, quae pariter symptomata non sistit essentialia, potest enim ab aliis causis dependere, uti ab hysterismo, ab hypochondria et similibus; sensatio reptatus et undulationis ad scrobem cordis et ponderis subitanei decedentis, nec non sensatio frigoris ad spinam dorsi; vertigines, fere ebrietas, quae a potibus spirituosis et esu carnis non augentur, sed potius mitigantur; lipothymiae aliquando occurrunt, sed ex aliis plurimis causis dependere possunt, uti plerumque res ita se habet.

Quapropter symptomata positiva nil docent, aliquid potius indicant negativa. Ex observatione constat quod ubi adsit taenia lata alii vermes deficiunt. Etiam in vulgari helminthiasi non adeo facilis est diagnosis, nam alia phaenomena desunt, nonnulla adsunt incerta, altera aliis

permultis morbis tribuere possumus. Vertigines habentur tam in helminthiasi, quam in hydrocephalo, solum autem discrimen esset quod in alia magis immobiles ac permanentes et variis intervallis recurrentes, in hoc potius permanentes immobiles ac constantes.

Certius omnibus signum est, quando vermes per alvum secedant. Tamen etiam propter hoc non concludendum recte est quod omnia praesentia phaenomena vermibus tribuenda sint. Cavendum pariter est, ne dum deficiant quaedam symptomata statuamus abesse helminthiasim. Oportet hic cum magna cautela se se gerere. In typho abdominali ex. gr., in scarlatina aliisque permultis morbis acutis adsunt vermes.

Disponunt ad helminthiasim aetas infantilis et puerilis, digestio alterata, esus alimentorum difficiliorum digestu, aliaeque causae, uti diathesis scrophulosa et rhachitica, polybleunia, et speciatim ventriculi et intestinorum laxitas, digestio languida, imperfecta, vitiosa, muci ac pituitae in primis viis abundantia et similia.

Ad causas excitantes spectant: ciborum pinguium, farinosorum, lacticiniorum usus, vitae regimen otiosum, iners, motu destitutum, animi pathemata deprimentia, habitacula humida depressa, obscura, frigidula, tempestas diutius perstans nebulosa, humida etc.

Vermes intestinales efformantur generatione spontanea sive aequivoca, aut juxta alios primitiva, et mediante genitura se se propagare videntur; probabile est eosdem ex humoribus intra primas vias secretis qualitate peccantibus, aut saltem nimia quantitate cumulatis, utpote materiis animalisatis, generari, ast quomodo ex illis fiant nobis penitus latet. Non adeo difficile est hujusce morbi prognosim statuere, morbus enim est qui non semper morbus esset dicendus, et praesentia quorundam vermium non semper gravioribus stipatur phaenomenis; ita ascaris lombricoides, tricocephalus dispar, et quandoque taenia ipsa, longo tempore vivere possunt in organismo

quin noceant. Quanquam tamen helminthiasis non sit morbus tam gravis potest talis fieri sub quibusdam circumstantiis ex. gr. si numerus insigniter vermium augetur, si individuus est simul cachecticus, scrophulosus, chloroticus, scorbuticus etc. vel si adsociatur febris quae ultima adfectio pejor priori tunc evadit, et valde reservata est prognosis edicenda.

At ne sunt haec tantum symptomata, quae verminationem indicant? Minime, nam potest quandoque cardialgiae formam habere, de quo testis est Hoffmannus, qui hominem quemdam, postquam hanc diutius pertulisset, vidit mortem oppetere, et aperto ejusdem cadavere, vermes in ventriculo, eosque tunicis quam maxime adhaerentes invenit, adeo ut tunicas ipsas perforassent.

Casus quem ego ipse vidi dicam. Mulier annos sexaginta circiter nata, temperamento sanguineo-lymphatico donata, habitu cachectico, ex patria paludosa, in infantili aetate verminatione laboravit pluries, nec non febribus intermittentibus, gastricismis et abdominalibus congestionibus. Ante annum cordis palpitationibus corripiebatur, quae augebantur in posterum, comitantibus aliquando crebro capitis dolore, convulsionibus, somnis perturbatis, languoribus continuis, vertiginibus et lipothymia. De cordis organico vitio judicavit medicus, et omnia medicamenta in hoc morbo ab expertissimis Practicis indicata in usum traxit per quatuor circiter menses. At spe sua frustratus anthelminthicis curam tentavit: mirabile! post paucos dies ascaridem alvo evacuavit, tali magnitudine, quam hercle vidi unquam. Siluerunt postea talia symptomata et sat bene se habuit. Similiter vidi in puero annorum 7 post evacuationem plurium ascaridum.

Verminatio etiam ischiadem simulat, teste Delio, in quo legimus exemplum quoddam praeclarissimum juvenis structura infelicis, pallentis, qui imi ventris dolores lamentabatur. In via titubans, et dolore regionem prope

iliacam graviter oppressus pedem dexterum retro vertebat ita, ut quasi claudus deambularet. Parentes femur luxatum esse excogitarunt, et Chirurgi huic morbo opportuna afferentes remedia deteriori modo consulebant infirmo. Tandem Delius narium pruritum, oculos languentes, stupidos, profluentem salivam, similem sero lactis urinam, abdominales dolores, quae omnia de verminatione deponebant, in adolescente cognovit. Hinc anthelminthicis data opera, vermes plurimos aeger detrusit, et, dictu mirabile! ischiadicus dolor juvenem reliquit incolumem. Tetanum in nonnullis fingunt vermes, quod affabre probat casus a Berrer in anatomicis observationibus relatus juvenis cujusdam indici, quem interrupte convulsiones et colica adgrediebantur, qui tandem tetano indis familiari correptus occubuit. Sectione peracta, nihil in encephalo observatione dignum perspexit; intestinis vero perlustratis, lumbricos innumeros, eorum tunicas perforantes nactus est. Delius quoque mulierem sex supra quadraginta annos natam, hysterismo verminationem mentienti detentam exhibet, quam ob irregulares menstruationes, frequentes leucorrhoeas, colicam, cardialgiam, ischiadem, pectoris angustias, et quemdam in abdomine tumorem, hysterismo teneri arbitratus est Medicus. Carminativis, nervinis, e castoreo praesertim, balsamicis temperantibusque, sed frustra porrectis, sub purgantium usu vermes evacuavit, pristinamque salutem recuperavit. Iliacus quidem morbus pro verminatione sumi potest; quod testatur puella illa a Gordone in medium allata, quae quidquid mandaret cibi acidis et verminosis mixtum substantiis evomebat, magnoque dolore in umbilici regione cum borborygmis detinebatur, adeo ut ab his symptomatibus arguendum esset, aegrotam ileum potius, quam alium morbum insectari. Stricta erat alvus, sed semper catharticis soluta vermes plurimos ejecit, et morbus mirabili cessit prodigio. Sed quid plura? Silentio praeteream tot alia innumera, pene dicerem, exem-

pla, tot rationes, queis simulatur verminatio, missas faciam, et tantum symptomata alia quaedam verminationis ostendam.

Et re quidem vera verminationem febrem aliquam amphimerinam, ut Hoffmannus vidit, colicam, diarrhoeam, ut Sennertus asserit, nunc tabem, ut inquit Sauvages, nunc pamphobiam, aut bulimiam, daemonomaniam, trismum, eclampsiam esse contenderes. Nec praetermittam physconiam, graviditatem, quae ab ascaridum praesentia desumitur, non solum ventris tumiditate, sed etiam menstruorum suppressione, motibus foetum simulantibus mammarumque turgescentia, nec non symptomatibus primorum gestationis mensium propriis, ut sunt nausea, vomitus, et in nonnullis ciborum vel objectorum prava cupiditas. Haematuria, orthopnoea, pleurodynia, cholera, ut affirmant auctores praestantissimi, nonne pro verminatione curantur? Tuque, o Boërhaawe, sub febris acutae, lentae ethicae, malignae, putridae, epidemicae, sub famis caninae, et tu, o Foreste, sub aphoniae forma eandem vidistis. Tandem, ut finem faciam, ecquis est, cum Burserio dicam, in humano corpore morbus verminatione dissimilis?

THERAPIA.

Objectum therapiae non in eo solum consistit, ut, amovendo causas excitantes idest vermes, tollantur symptomata morbosa ab iis pendentia, sed ut ipsa etiam universalis corrigatur dispositio.

Helminthiasis est cachecticus morbus qui a digestione laesa incipit, hinc adfectio causalis tolli debet, et postea attendendum est ad mitiganda phaenomena morbosa, ad curam scilicet symptomaticam, quae plerumque immo radicali locum cedit, quaeque vermes quocumque modo destruit et eliminat, eorumque generationi opponitur. In omni verminatione cura symptomatica locum habet, vermes stupefaciendo atque necando remediis anthelminthicis

specificis) vel eos eliminando per alvi evacuationes (helminthagogis) seu vermes pellentibus (purgantibus.)

Igitur indicatio prima est vermes expellere, praesertim si molestias producunt, secunda causalis modo prophylactico, scopo praecavendi eorum formationem. Remedia autem dividuntur.

I. In ea quae in vermes non directe agunt, sed unicam corrigunt eorum generationem ac evolutionem praepediunt.

II. In ea quae directe vermibus infensa sunt.

Remedia habemus *diaetetica*, juvat enim diaeta tenuis per plures dies continuata immo jejunium, cujus ope major etiam redditur efficacia remediorum pharmaceuticorum, et sic deficiente pro vermibus alimento in intestinum rectum ipsi migrant, et per alvum ejiciuntur. Sic quoque docet experientia. Praeter jejunium habemus etiam remedium in cibis salsis, piscibus marinis, moluscis et generatim, quae jodum tenent; in cibis quoque allio paratis, in usum radicum dauci sativi etc. Praeterea usus aquarum fontis purae, aquarum salinarum, illarum speciatim, quae sulphatem ferri, nec non ejusdem carbonatem magna copia tenent aliaque salia, et sic dictae aquae soteriae.

Pharmaceutica. De vermibus expellendis inserviunt:

1. Tonico-roborantia, huc spectant pharmaca tonica, amara et amaro-aromatica.

2. Anthelminthica; quorum partim modo mechanico aut specifico vermibus infensa sunt, partim in ipsos vermes agentia, ac pro illis essent venenosa eos debilitando aut enecando. Ad haec remedia demandanda sunt calomel, tartarus emeticus, et quidem refracta dosi, flores sulphuris, sal ammoniacus, aqua calcis, murias baritis, limatura martis, vitriolum martis artefactum, stannum limatum et granulatum, flores zinci, denique aqua frigida largiter hausta, praesertim soteria salina, quae dicta remedia spectant ad anthelminthica modo mechanico

agentia; ad remedia chemico-dynamice agentia directe infensa vermibus ob oleum peculiare foetidum aromaticum, quo scatent, sequentia demandantur, quaeque etiam incitando et roborando prosunt. Semina cinae, tanaceti, absinthium, allium, dictamus albus, valeriana, pollypodium filix mas, cortices virides nucum juglandum, assa foetida, camphora, oleum terebinthinae, petroleum, oleum cornu cervi empyreumaticum et rectificatum seu Dippelii. Gravante pituita larga, aut praemitti, aut conjungi, aut interpolari debent tum usu protracto pharmaca solventia praesertim salina, vel emetica vel purgantia; praesenti debilitate ac laxitate, erigentia ac roborantia; sensibilitate magna, colicis, spasmis convulsionibus etc. eminentibus ex anthelminthicis sedantia et epispastica seligenda sunt, vel mixturae oleosae, olea blanda, balnea tepida etc. cum illis adhibenda.

3. Purgantia, quae evacuationem vermium pro parte adjuvant, pro parte autem actione tam in illos quam in ventriculum et tractum intestinalem fortissima influunt, et ad haec reducuntur olea pinguia dosi larga, speciatim oleum ricini, sal amarus, rheum, senna, gratiola, gummi-gutta, elleborus niger et albus, aloë, oleum crotonis tilii, calomel magna dosi, sabadilla, helminthochorton, chenopodium anthelminthicum, spigelia, cortex radicis punicae granati pluraque alia.

Nonnullis vero asserentibus auctoribus methodus, qua praemissis anthelminthicis meris, purgantia subjunguntur certiores adfert effectus. Numerantur etiam remedia quorum adplicatio externa contra vermes laudatur. Numeranda hic sunt: inunctiones alicujus olei foetentis, vel solius aliisve commixtis remediis, uti inunctiones olei cajeput cum balneis tepidis a Rodolfi contra colicas verminosas celebratae, petrolei cum succo allii recenter expressi et felle tauri recente. Epitemata ex allio, herba linariae, herba tanaceti etc. Linimenta et unguenta ex felle tauri, sapone veneta cum oleo tanaceti, aut cum

camphora et aloë etc. Clysteres ex variis pharmacorum nunc numeratorum parati, sed casibus rite adplicanda prouti individuus est vel torpidus, vel sensibilis, prouti morbus est febrilis vel afebrilis et similibus. Adnotandum vero venit quod hac methodo difficulter aliquando vermes expelluntur. Celebratae vero methodi eadem remedia administrandi variae et sequentes sunt:

(1) Selle ordinat vespere aliquot cochlearia alicujus olei pinguis, subsequente die mane grana decem gummiguttae, et jubet hanc dosim repeti post bihorium, nisi taenia jam secesserit, post alterum bihorium verme nondum evacuato, et absente primarum viarum intensa irritatione, consulit eandem dosim gummi-guttae, tertia vice sumendam esse. Haec methodus opus habet cautissima circumspectione ne noceat.

(2) Odsier adultis mane dr. tres pulv. rad. filicis maris, et bihorio elapso uncias tres olei ricini americani, cochlear majus omni media hora pauco in jusculo porrigit.

(3) Remedium Nufferianum efficacius contra botryocephalum latum constat quatuor partibus:

I. Jusculo aut pappario ex libra una et semis aquae, unciis duabus panis albi, unc. duabus vel tribus butyri recentis et necessaria quantitate salis.

II. Enemate emolliente, ex decocto foliorum malvae et althaeae cum olei olivarum unciis duabus et pauco sale.

III. Drachmis duabus vel tribus pulveris alcoholisati radicis filicis maris in unciis sex aquae tanaceti vel florum tiliae vel communis.

IV. Bolo ex calomelis et scammonii ana gr. decem, gummi guttae gr. sex, vel septem cum conserva hyacynthi confecto. Jusculum sumi debet hora vespertina septima vel octava, postquam aeger post parvum prandium nil amplius comederet, dein enema si in obstipatione potius pronus est, quod ille pro possibili retinere co-

netur, postea lectum petat altera die summo mane aeger specificum pulverem adhuc in lecto sumat; si sequatur vomitus, quem autem praepedire potest masticando corticem citri, quin eum deglutiat, aut vaporem aceti naribus attrahendo; praetermissa nausea dosim repetat et dormire tentet; post bihorium surgit, bolum deglutit super bibendo vasculum aut duo infusi tenuis theae viridis, et ambulet; actione drastici incipiente aeger potum theatum levem aliquoties vasculatim haurit donec vermis secedat, tunc solum non citius jusculi carnosi vasculum, et brevi post alterum bibere licet; qui totum non retinuerit bolum, aut eo non satis purgetur quatuor post horas sumat drachmas duas ad octo salis Seidlitz vel Empson in poculo aquae solutas. Quibus taenia expellitur convoluta in globum, sed juxta longitudinem lentius exit, manentes in sella perforata quin vermem trahant, unum alterumve vasculum infusi theae viridis quidquam calidi bibant, et si hoc non sufficit sal amarum capiant, nec surgant donec vermis secedat plane. Illis quibus taenia secessit ante bolum Nufer nonnisi duas tertias boli partes aut ejus loco sal amarum exhibuit, si vermis autem nec per diem, nec proxima nocte exiverit altera statim die mane, specifico omisso bolo, sal amarum sumendum esse, et regimen uti die praegressa servandum Nufer proposuit.

Herrenschwand proponit remedium, quod consistit in drachma pulveris radicis filicis maris per biduum mane ac vespere; tertia die mane jejunio in pulvere ex gummi-guttae granis duodecim, salis absynhtii neutri dr. semis et saponis Störckii granis duobus. Verme non expulso ad vesperem aegro enema ex partibus aequalibus lactis et aquae cum olei ricini unciis tribus injicitur.

Alston I. exhibet aegris purgans ex decocto-infuso radicis caulis et foliorum sennae cum manna, altera die mane jejuno ventriculo stanni puri per cribrum tenuissimum tranjecti unciam cum syr. simpl. unc. quatuor,

tertia sic et quarta die pulveris stanni unc. semis cum syr. simpl. unc. duabus, quinta iterum purgans memoratum.

Matthieu duas formulas proposuit.

Rec. Limaturae stanni anglici puriss. unc. unam
Pulv. rad. filicis maris dr. sex.
— seminum cinae unc. semis
— radicis jalappae resinosae
Salis polychresti ana dr. unam
M. fiat cum melle com. electuarium.

Rec. Pulv. rad. jalappae resinosae
— salis polychresti ana scrup. duos
Scammonii halepensis scr. unum
Gummi guttae gr. decem
M. fiat cum melle com. electuarium.

Praemissa congrua diaeta cochlear parvum primi electuarii porrigitur omni bihorio per duos tresve dies donec videlicet sensationes de verme in intestinis percipiantur, dein cochlear parvum secundi electuarii omni bihorio, donec vermis secedat.

Quamplures auctores aliis methodis usi sunt in vermium solitariorum expulsione, sed visum mihi est esse satis principales brevitatis causa referre, quae quidem diagnosi certa statuta in curatione vermium sufficiunt.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Mercurius sublimatus corrosivus omnium quidem est efficacissimum remedium in syphilide, non vero specificum.

II.

Lactis secretio virginem non damnat.

III.

Post gravissimas et dolorosas operationes chirurgicas, quamvis non cum magna haemorrhagia conjunctas, saepe vera, sed temporaria hyposthenia contingit.

IV.

Remedia domestica minime contemnenda.

V.

Dolor ut signum pathognomonicum valde incertum.

VI.

Electricitas maximum influxum in vita exercet.

VII.

In morbo miliari indusium sudore imbutum mutandum.

VIII.

Mutua sunt utriusque Anatomes praesidia et adjumenta.

IX.

Maximi est facienda vera morbosae formae cognitio in medica praxi.